

cœlestes se dirigere; totamq; motuum cœlestium harmoniam pro ipsius moderamine constitui, & conseruari. Vnde & à Veteribus Sol $\chi\alpha\gamma\eta\gamma\delta\sigma$, naturæ gubernator, & Rex dictus est. Sed quomodo hanc administrationem gereret: an quemadmodum Deus totum hoc vniuersum gubernat? vt pulcherrimè Aristoteles $\pi\epsilon\pi\chi\kappa\theta\sigma\mu\omega$ de pingit; an verò ipse totum cœlum toties peragrando, nulloq; in loco quietus Dei in natura administratorem ageret, nondum videtur omnino explicatum, absolutumq; esse. Vtrum autem horum potius assumendum sit, Geometris, & Philosophis (qui mathematicâ quidem tincti sint) determinandum relinquo. Siquidem in hiusmodi aestimandis, dijudicandisq; controvërsijs, non ex plausibilibus opinionibus, sed legibus mathematicis (in quorum foro causa hæc dicitur) ferenda est sententia. Prior gubernationis modus est reiectus, posterior receptus. D. Doctor autem Praeceptor meus, damnatam rationem gubernationis in rerum natura Solis, reuocandam statuit, ita tamen, vt receptæ etiam & approbatæ suus locus relinquatur. Videt namque, neque in humanis rebus esse opus, vt Imperator singulas vrbes ipse percurrat, quo suo denique mune, à Deo sibi imposito, defungatur: neque cor in caput, aut pedes, aliasq; corporis partes propter animantis conseruationem transmigrare, sed per alia $\phi\gamma\alpha\mu\alpha$ à Deo in hoc destinata, officio suo præesse.

Deinde, cum statueret medium motum Solis, talem motum esse oportere, qui non tantum imaginatione constaret, vt in reliquis quidem planetis, sed haberet causam per se, cum ipsum verissimè $\chi\alpha\gamma\delta\epsilon\upsilon\tau\eta\pi\omega\mu\pi\alpha\chi\alpha\gamma\delta\alpha\tau\mu\omega$ esse appareret, factum est, vt suam sententiam firmam, nec à vero abhorrentem comprobaret. Nam per suas hypotheses causam efficientem æqualis motus Solis geometricè deduci posse sentiebat, & demonstrari, quare iste medius Solis motus, in omnibus reliquorum planetarum motibus, & apparentijs, certa ratione, vt in singulis appareat, necessariò deprehendetur: atq; exinde posito telluris motu in eccentrico, in promptu esse certam rerum cœlestium doctrinam, in qua nihil mutandum, quin simul totum systema, vt consentaneum erat, de novo in debitas rationes restitueretur. Huiusmodi Solis in rerū natura gubernationē cum ex cōmunib[us] nostris theorijs ne suspicari quidē poteramus, pleraque Veterum Solis $\epsilon\gamma\chi\alpha\mu\pi\alpha$, tanquam Poetica negligebamus.

P 2

Vides